

Nam, ut Fagnanus in c. *Sacris*, n. 2 et seqq. h. t. recte notat, « Vis, seu coactio » duplex est; una « absoluta, » seu præcisa, quæ importat majoris rei impetum, cui resisti non potest, sicque consensum prorsus excludit; et de hac loquitur præsens conclusio. Altera est « Vis, seu coactio conditionalis, » atque alias dicitur « Vis compulsiva: » et hæc idem est, quod metus, ut notat Glossa 1. in l. *Nihil consensui*. ff. de *Reg. jur.* neque prorsus excludit voluntarium, licet illud extenuet; de qua procedunt jura in objectione citata.

12. *Si quis in bonis fortuna vim sibi illatam conqueratur, tenetur hanc legitime probare, nec sufficit solum ejus juramentum.* — Quæritur III. Quid agendum, si cuipiam in bonis fortunæ aliquid per vim ablatum fuerit? Resp. I. Si quis in bonis fortunæ vim sibi illatam conqueratur, allegans, per violentiam eandem esse ablata, tenetur ante omnia vim sibi factam legitime probare, neque sufficit solum juramentum ipsius de vi sibi illata. Ita communis; atque desumitur ex cap. ult. h. t. juncta Glossa *ŷ. Per testes*. et l. *Si quando*. C. *Unde vi*. Ubi ad vim probandam requiritur, quod de illata violentia vel constet per testes, vel aliunde ipsa sit in judicio patefacta; hoc est, liquido probata. Delicta enim debent liquido probari, hoc est, idoneis testibus, vel apertissimis documentis, et læxe clarioribus, L. ult. C. de *Probationib.*

13. *Probata tamen violentia sufficit juramentum damnum passi super rebus amissis.* — Resp. II. Quod si quis jam legitime in judicio probaverit, violentiam sibi factam, nec tamen singula ablata liquido probare valeat; eo quod difficile sit probare, singula utensilia, et alia minuta, ab hoc sibi ablata fuisse: tunc iudex inspecta persona, et negotii qualitate, debet damnum illatum taxare, et postea damnum passo juramentum super rebus amissis, earumque valore deferre, stabiturque ejus juramento usque ad quantitatem taxatam. Ita habetur expressum in cap. ult. h. t. et l. *Si quando*. 9. C. *Unde vi*.

14. *Et cur istud in jure specialiter ita statutum fuerit?* — Nec obstat, quod alioquin juramentum non sit deferendum parti, nisi adsit semiplena probatio; puta, quia habet unum testem pro se, ut cap. ult. de *Jurejurand.* et l. *In bonæ*. C. de *Rebus creditis*. Resp. enim istud in jure specialiter ita esse statutum, tum ob difficultatem probandi singula utensilia; tum in favorem spoliati, et in

odium violenti spoliatoris; tum etiam, quia probato semel spolio sibi illato, actor habet optimam præsumptionem pro se, sicque statur ejus juramento; ut notat Glossa magna cit. cap. ult. h. t.

15. *Juramentum illud, qualiter sit præstandum?* — Cæterum, priusquam iudex condemnet violentum spoliatorem ad restituendas res ablatas, debet prius auditu læso, ejusque inspecta persona (considerando videlicet, an fuerit dives, nec ne, et an verisimile sit, quod in eo loco tot res tenuerit, quod præterdit) damnum illatum taxare; ut dicitur in conclusione. Quo facto iudex defert juramentum actori læso, ut nimirum juret, tantum et non minus sibi ablatum fuisse, quam taxatum est: et postea primum juxta quantitatem ita taxatam, et juratam, condemnabit violentum spoliatorem. Pirhing h. t. n. 9.

## § II.

## DE METU, ET VARIIS IPSUM CONCERNENTIBUS

16. *Metus, quid?* — Quæritur I. Quid, et quotuplex sit metus, et an causet involuntarium? Resp. I. « Metus est instantis periculi, vel futuri causa, mentis trepidatio; » ut loquitur textus in l. I. ff. de *eo quod metus causa*, etc. Et fit, quando quis propter instans, vel futurum periculum, aliquid agit, quod alioquin sponte non ageret: veluti, si ex morbo timens mortem, patiatur ad eam evitandam alicujus membri abscissionem, vel si ex metu mutilationis incurrendæ, det adversario suo pecuniam; aut si quis tempore naufragii projiciat merces in mare, vel ad effugiendum quodcumque periculum aliquid aliud faciat, quod alias non faceret, nulla tamen coactione absoluta interveniente.

17. *Dividitur in gravem, et levem.* — Resp. II. Metus ut sic recte dividitur in gravem et levem. Ita communis; atque inter alia desumitur ex c. *Cum dilectus*. 6. h. t. et l. *Metum autem*. ff. eod. ubi utrumque membrum paucis verbis exprimendo, dicitur: « Metum autem non vani hominis, sed qui merito et in hominem constantissimum cadat. »

18. *Metus gravis, seu cadens in virum constantem, quis?* — Resp. III. « Metus gravis » (qui et « Metus cadens in constantem virum » appellatur) est ille, quem vir constans, et fortis, prudenter et rationabiliter concipit. Ita in re communis; et patet ex citata l. *Me-*

## § II. DE METU, ET VARIIS IPSUM CONCERNENTIBUS.

*um autem*. et c. *Ad audientiam*, 4, h. t. ubi metus gravis censetur ille, « qui potuerit et debuerit cadere in virum constantem. »

19. *Ad hunc quæ requirantur conditiones?* — Atque ad hujusmodi metum gravem, ut notat Doctor subtilis in 4, dist. 29, quæst. un. duæ potissimum requiruntur conditiones. Prima est, quod malum, de quo timetur, sit grave in se, et non solum in vana æstimatione metuentis: ut est metus mortis, et similibus, de quibus n. seqq. Secunda conditio, ad metum gravem requisita est, quod ejusmodi grave malum certo immineat: hoc est, ut non levi æstimatione, sed certitudinaliter, saltem certitudine morali, seu sufficiente in actibus humanis, judicetur eventurum. Quod si alterutra harum conditionum deficiat, censebitur « metus levis, » prout desumitur ex c. *Cum dilectus*, 6, h. t. cum similibus. Fatendum tamen, quod Sperellus, decis. 79, *Fori ecclesiast.* n. 43, citans Rotam in Venetiæ matrimoniiis, 29 novembr. 1604, coram Penia, et Sanchez, lib. IV. de *Matrim.* disp. 1, n. 12 et seqq. ad metum gravem tres alias requirant conditiones, nimirum: tertia, ut metum incutiens, potens sit minas exequi: quarta, ut solitus fuerit, minas executioni mandare: quinta, ut is, qui timet, non possit alia ratione occurrere malo illi, quod timetur. Verum hæc tres posteriores conditiones commode reducuntur ad secundam, utpote quam dumtaxat declarant: nemo enim potest prudenter æstimare malum certitudinaliter eventurum, quando scit minitantem illud aut inferre non posse, aut non solere; aut scit alia ratione se posse malum illud absque incommodo evitare: prout observat idem Sperellus cit. n. 43, post Coninck, de *Sacramentis*, tit. de *Matrimonio metu contracto*, disp. 28, dub. 2, n. 23.

20. *Gravia mala, sufficientia ad inducendum metum gravem, qualia?* — Cæterum inter gravia mala, quæ sufficiunt ad inducendum metum gravem, seu cadentem in virum constantem, ut exinde possit sequi actio « Quod metus causa » (nam quod « pro nullo metu debeat quis peccatum mortale incurere, » certum est, atque decisum in c. *Sacris*, 5, h. t. eo quod peccatum sit omnium malorum gravissimum, propter offensam Dei, utpote infiniti boni, quam continet.) Inter gravia, inquam, illa mala, connumeratur timor mortis, cap. 1, h. t. et l. *Continet*, ff. eod. Deinde cruciatus corporis, intellige gravis, ut puta mutilationis, carceris, aut verberum

terror, cit. c. *Cum dilectus*, 6, h. t. et d. l. *Continet*, cum similibus. Item metus servitutis, l. *Ego puto*, ff. eod. Item metus stupri inferendi, l. *Isti quidem*, ff. eod. et metus amissionis patrimonii, vel confiscationis bonorum, c. *Abbas*, 2, h. t. et can. *Presbyteros*, dist. 50. Sicut et gravis metus regis, c. *Ad audientiam*, 4, h. t. vel alicujus potentis, L. ult. C. eod. et hujusmodi.

21. *Unde horum gravitas desumenda?* — Recte tamen notat Glossa in cit. c. *Cum dilectus*, *ŷ. Metum mortis*, h. t. arbitrio judicis esse relinquendum, quando potentia hominis, puta regis, aut alterius potentis, sit justa causa metus. Siquidem gravitas illius mali, ex quo inducitur metus gravis, seu cadens in constantem virum, attendi debet ex natura mali in se, non autem ex vana et non fundata æstimatione patientis, seu metuentis; utpote qui posset alioquin levissimum malum, tanquam grave apprehendere.

22. *Metus justus, quis?* — Porro metum gravem, seu cadentem in constantem virum, alio nomine doctores appellant *metum justum*. Intellige, justum, id est, sufficientem: vel justum, quantum ad se; licet injustum, quantum ad inferentem: ut explicat Glossa 1, in l. *Metus autem*, ff. *Ex quibus causis majores*, etc. Et talis metus justus censetur ille, per quem aliquis eligit minus malum ad evitandum majus malum; prout desumitur ex l. *Metum*, 5, ff. h. t. ibi: « Metum accipiendum Labeo ait, non quemlibet timorem, sed majoris mali. »

23. *Non causat involuntarium simpliciter, sed tantum secundum quid.* — Resp. IV. Metus etiam gravis non causat involuntarium simpliciter, sed tantum secundum quid; ac proinde id, quod metu fit, est simpliciter et absolute voluntarium, involuntarium autem tantum secundum quid. Ita communis tum theologorum, tum canonistarum. Idque inter alia desumitur ex c. *Sacris*, 5, h. t. ubi dicitur, quod quidem « metus attenuet culpam, tamen non eam prorsus excludat. » Extenuat enim, propter involuntarium secundum quid: non tamen prorsus excludit, propter voluntarium simpliciter. Unde illud vulgatum: « Coacta voluntas, est voluntas, » arg. can. *Merito*, 15, q. 1, et amplius declarat Glossa ibid. *ŷ. Vult*. Nam, si quis metu mortis compellitur idolis sacrificare, licet contra voluntatem suam id facere dicatur, eo quod non per se ipsum appetendo sacrificet: adhuc tamen simpliciter vult facere seu sacrificare;

quia vult vivere, hacque ratione (quamvis illicite, et male) vitam conservare, prout in simili argumentatur divus Augustinus in cit. can. *Merito*, 15, q. 1, relatus.

24. *Factum ex metu magis censetur voluntarium, quam involuntarium.* — Quinimo, quod per metum fit, magis censetur atque existit voluntarium, quam involuntarium. Est enim voluntarium simpliciter, in quantum videlicet principium ejus est ad intra: libere enim hic et nunc assumitur veluti medium impeditivum majoris mali, quod timetur; ut patet in proficiente merces in mare tempore naufragii. Involuntarium autem dumtaxat secundum quid, id est, prout consideratur extra hunc casum periculi; sicque est involuntarium dumtaxat sub conditione, si videlicet tale periculum, tantique mali metus non immineret.

25. *Metus levis non vitiat contractum.* — Quæritur II. An, et qualis metus invalidet contractus? Resp. I. Certum est, quod metus levis, utpote non cadens in virum constantem, non invalidet contractus, text. clar. c. *Cum dilectus*, 6, h. t. et l. *Metum autem*, ff. *De eo quod metus causa*, etc. Verum loquendo de metu gravi, seu cadente in virum constantem, passim fatentur jura, per ipsum vitari contractus, ita ut vel ipso jure sint irriti, vel saltem per sententiam judicis rescindendi; prout magis in progressu dicitur, declarando prius, de quali metu gravi istud sit intelligendum. Unde.

26. *Imo nec metus gravis ab extrinseco proveniens.* — Resp. II. Metus gravis ab intrinseco proveniens (hoc est, non incussus a causa libera exteriori, puta, ab alio homine; sed intrinsecus ab ipsomet metuente susceptus vel ex propria passione, vel ex causa naturali: ut est metus mortis imminens ob morbum, naufragium, bestias, etc., item metus inferni, ac hujusmodi) non invalidat contractus. Ita Covarruvias *de Matrimonio*, part. II, cap. III, § 4, n. 26 et seqq.; Sanchez, lib. IV, *de Matrim.* disp. 12, n. 4 et seqq. citans alios, idque exemplificans de eo, qui metu presentaneæ mortis, vel timore inferni contrahit matrimonium cum concubina. Id ipsum desumitur ex c. *Sicut nobis*, 17, *de Regularib.*, ubi votum religionis, emissum a constituto in lethali infirmitate, censetur validum, servarique jubetur: idem ergo dicendum de contractibus ex metu gravi ab intrinseco proveniente celebratis.

27. *Neque proveniens ab extrinseco, juste*

tamen incussus. — Resp. III. Insuper metus gravis de extrinseco proveniens, juste tamen incussus, contractum non invalidat. Ita Abbas in c. *Cum dilectus*, n. 11, h. t. istud exemplificans in judice juste minitante. Covarruvias cit. § 4, n. 20; Sanchez d. l. IV. disp. 13, n. 3, citans plurimos alios; quamvis loquendo præsertim de matrimonio, nonnulli oppositum teneant. Ratio conclusionis est, quia metus juste incussus, non infert cuiquam injuriam: quin potius, cum ob præviam v. g. promissionem, vel aliquod delictum is juste incutiatur, « hunc sibi metum ipse delinquens infert; » prout dicitur in l. *Si mulier*, § 1, *De eo quod metus causa*, etc. Accedit, quod matrimonium antea promissum, si contrahatur metu excommunicationis per judicem intelligendæ, validum existat, c. *Ex litteris*, 10, *de Sponsalib.*, haud obstante, quod poena major in Ecclesia non sit, quam excommunicatio, can. *Corripiantur*, 24, q. 3. Similiter qui aliquid promisit metu accusationis contra ipsum instituendæ, vel institutæ, tenetur stare promissis, nec potest petere rescissionem promissionis ob prætextum metus sui, l. *Accusationis*, C. *De iis quæ vi metusve causa*, etc. Atque idem dicendum de similibus.

28. *Vel si non fuit incussus ad extorquendum consensum, sed ob alium finem. Idque exemplificatur.* — Resp. IV. Ulterius metus quantumcumque gravis, si non fuit incussus ad extorquendum consensum, sed ob alium finem sive juste, sive injuste illatus fuit, non annullat matrimonium, neque alios contractus rescindit. Ita Sperellus, decis. 6, *Fori ecclesiast.* n. 4, et Sanchez, l. IV, *de Matrim.* disp. 12, n. 3, et seqq. allegantes communem, et certissimam Doctorum sententiam. Sic, ubi quis ratione debitorum detrusus est in carcerem, et postea ut carceris squalorem effugiat, consensit in matrimonium, valide contrahit: quia tunc metus ex squalore carceris proveniens, non fuit incussus ad extorquendum consensum matrimoniale, sed matrimonium ab incarcerato propter debita, sponte eligitur veluti medium aptum effugiendi carcerem. Abbas in c. *Cum locum*, n. 9, et Joan. Andreas ibid. n. 2, *de Sponsalib.*; Sanchez cit. disp. 12, n. 6, cum aliis. Similiter loquendo de metu injuste incusso, quando pater in ultionem injuriæ stricto gladio vult occidere adolescentem impudice repertum cum sua filia; iste vero precibus impetret, ut sibi parcatur, præstita promissione, quod ad compensationem injuriæ velit filiam ejus accipere in

uxorem, validum erit matrimonium exinde contractum. Licet enim pater injuste adolescenti metum incusserit, volendo ipsum privata auctoritate occidere; hoc tamen solum fecit in ultionem injuriæ, non vero (ut supponitur) ad extorquendum consensum matrimoniale: ac proinde, cum juvenis ille non coactus matrimonium inire, sua sponte istud obtulerit veluti medium servandi propriam vitam, et illatam injuriam resarciendi, memoratus metus non oberit valori matrimonii. Sperellus, cit. decis. 6, n. 1 et 5; Reginaldus, l. XXXI *Praxis fori pœnit.* cap. XIII, n. 79; Barbosa in c. *Veniens*, il. 2, n. 4, *de Sponsalib.* citans alios.

29. *In dubio præsumitur metus ad extorquendum consensum incussus.* — Solum adde, quod quantum atinet ad praxim fori externi, in dubio præsumatur, metum fuisse incussum ad extorquendum consensum. Sperellus, cit. decis. 6, n. 10. Ubi etiam notat, quod ista sententia speculativa, difficillime reducatur ad praxim, cum propemodum sit impossibile probare in judicio, patrem puellæ non ad extorquendum consensum matrimoniale, sed ad ultionem dumtaxat injuriæ, adolescenti illi mortem minitatum fuisse. Verum in priori casu, loquente de incarcerato ob debitum, praxis foret expeditior.

30. *Contractus aliique actus ex metu gravi procedentes regulariter sunt validi.* — Quæritur III. Qualiter contractus, aliique actus ex metu gravi, atque extorquendum consensum injuste incusso procedentes, invalidentur? Resp. I. Contractus, pacta, transactiones, renuntiationes, et consimiles actus, non obstante metu gravi, ex quo fiunt, regulariter sunt validi tam pro foro externo, quam conscientie; quamvis gesta ex tali metu, eoque probato, per sententiam judicis sint rescindenda. Ita Glossa communiter recepta in c. *Abbas*, 2, §. *Coactus*, h. t. Et quidem prior pars probatur ex juribus mox citandis, quibus metum passis subvenitur auctoritate judicis per actionem « Quod metus causa; » sicque supponitur, talia gesta antea esse valida, donec rescendantur. Accedit ratio, quia, quod ex metu fit, est simpliciter voluntarium; ac verum est dicere, « Coacta voluntas, est voluntas. » Et consequenter tenent ea, quæ per metum fiunt; saltem regulariter loquendo, ac ubi jus specialiter aliud non disposuit: quod additur propter dicenda in § seq. n. 44, et seqq.

31. *Quamvis tali metu probato sint rescin-*

dendi per sententiam judicis. — Altera pars ex d. c. *Abbas*, 2, § fin. et c. *Ad audientiam*, 4, h. t. ubi ea, quæ vi metusve causa fiunt, de jure in irritum revocanda esse, decernitur. Idem habetur i. l. ff. h. t. ibi: « Ait prætor: Quod metus causa gestum erit, ratum non habeo. » Et hoc dictum amplius in progressu ibidem explicatur, atque repetitur, l. *Si mulier*, § 1, ff. eod. Insuper in l. *Metum autem presentem*, 9, §. *Sed prætor*, ff. eod. subjungitur, quod in negotiis ex metu gravi, atque presenti gestis, ut rescindi possint, « sive perfecta sive imperfecta res sit, et actio et exceptio detur; » de quibus paulo inferius plura.

32. *Beneficio renuntians per metum gravem, potest illud repetere. Et quod, si juramentum circa hoc intervenerit?* — Eadem pars conclusionis probatur inductione. Sic enim, qui per metum gravem renuntiavit beneficio ecclesiastico, illudque abjuravit, potest id repetere in judicio, ac restituitur; ut est casus in c. *Abbas*, 2, et c. *Ad audientiam*, 4, h. t. Nec obstat juramentum, quo quis beneficium se resignaturum forsitan juravit, vel illud abjuravit. Resp. enim cum cit. c. *Ad audientiam*, h. t. quod virtute hujus juramenti quis « non ad repetendum, sed ad resignandum solummodo teneatur: » sicque illud non obstat repetitioni postmodum faciendæ. Quod si vero quis jurasset etiam non repetere, tunc quidem non posset amplius repetere propter religionem juramenti, quod semper est servandum, si servari potest absque peccato: nihilominus posset is hoc denunciare Papæ, ab eoque impetrare absolutionem a juramento; arg. c. *Si vero*, 8, *de Jurejurand.* juncta Glossa in cit. c. *Ad audientiam*, §. *Resignandum*, h. t. et concordant dicta superius, tit. IX *de Renuntiatione*, § 1, n. 3.

33. *Electioni de se factæ renuntians terrore laicorum, potest jus suum in judicio repetere.* — Similiter, si quis electioni de se factæ terrore laicorum renuntiet, hac renuntiatione non obstante potest in judicio repetere prælaturam, sive regimen, ad quod electus fuerat, eique præfici: nisi forte renuntiatio illa juramento, vel fide interposita sit confirmata, quod scilicet non reciperet prælaturam illam; prout habetur decisum in c. *Ad aures*, 3, h. t. et amplius explicat Glossa fin. ibid. Tacentur similia.

34. *Quodnam remedium juris competat metum passis?* — Quæritur IV. Quodnam remedium juris competat metum passis? Resp. I. Metum

passis competit de jure tum actio : « Quod metus causa, » tum exceptio hujusmodi. Patet hoc ex cit. l. *Metum autem præsentem*, 9, § *Sed quod prætor*, ff. h. t. ubi expressum habetur; quod metu interveniente, » sive perfecta, sive imperfecta res sit, et actio et exceptio detur. » Et quidem

35. *Actio* Quod metus causa datur illi, qui ex gravi metu rem suam alteri tradidit. — Actio « Quod metus causa » datur ei, qui ex gravi metu coactus, rem suam alteri tradidit, aut præstita cautione dare promisit, vel quodcumque jus suum ipsi remisit, ut iudicis auctoritate in pristinum statum reponatur, seu res tradita cum integritate sibi restituatur. Desumitur hoc ex cit. § *Sed quod prætor*. Concordat d. c. *Abbas*, 2, h. t. ubi pontifex illi, qui ex gravi metu coactus renuntiavit suo beneficio, jubet præter ipsum beneficium « cum integritate restitui universa. » Et addit hujus rationem illis verbis supra jam adductis : « Quia, quæ metu et vi fiunt de jure debent in irritum revocari. »

36. *Vi hujus debet fieri restitutio integerrima.* — Et notanter dicitur, « cum integritate restitui universa. » Quia, ut recte notat Panormitanus in cit. c. *Abbas*, n. 3, per actionem « Quod metus causa » debet fieri integerrima restitutio eorum, quæ quis perdidit per metum : adeo, ut debeat haberi respectus non tantum ad bona existentia, quæ metum passus alteri tradidit; sed etiam ad damna illata, et interesse cessans ratione illius metus. Debet enim res restitui cum fructibus : et omni causa, l. *Si cum exceptione*, § *Labeo ait*. ff. eod.

37. *Agens actione* Quod metus causa non tenetur designare, quis metum intulerit. — His adde ex cit. l. *Si cum exceptione*, § *In hac actione*, ff. h. t. quod is, qui agit hac actione, non astringatur ad designandum, quis ei metum intulerit (hoc enim probare foret difficillimum, cum talia sæpius fiant de nocte, aut in multitudine hominum; sicque metus, ut ibi dicitur, censeatur habere in se ignorantiam) sed sufficiat probare, metum sibi esse illatum, atque ex tali re per metum tradita commodum sensisse illum, qui convenitur; licet is metum non intulerit, et crimine careat.

38. *Actio* Quod metus causa non solum est personalis, sed etiam in rem scripta. Imo et poenalis; et quomodo. — Atque ideo actio « Quod metus causa » non solum est « personalis, » quatenus potest dirigi in personam illius, qui metum intulit, sed etiam est « Actio in rem

scripta; » quia datur adversus quemcumque, qui ex metu illato sensit commodum, licet ipse metum non intulerit. Mynsinger, l. IV. *Instit.* § *Quadrupli*, n. 2, *de Actionib.* Insuper actio « Quod metus causa » est poenalis : quia si intra annum (eumque utilem instituatur contra eum, qui metum gravem injuste intulit, aut contra rei per metum traditæ possessorem, et is restituere contractus fuerit, tunc ipse in quadruplum condemnandus erit : alioquin vero in simplum dumtaxat condemnatur. Layman in cit. c. *Abbas*, n. 5, h. t. et patet ex d. l. *Si cum exceptione*. § *Si quis non restituat*. et seqq. ff. h. t.

39. *Exceptio* Quod metus causa competit metum passis; et quando? — Alterum remedium, quod metum passis de jure competit, est exceptio « Quod metus causa. » Et hæc quidem vel maxime competi in negotiis imperfectis; hoc est in illis, ubi nondum facta est executio, v. g. rei traditio : ut puta, si quid ex metu gravi promissum fuit, sed nondum traditum; quia, ubi promissum tale exigitur, potest opponi dicta exceptio. Quin etiam interdum ea competit in negotiis perfectis : ut si ex metu gravi dedi tibi centum, aliunde autem tibi debeam centum, quando tu ista centum a me exigis, possum tibi opponere exceptionem de aliis centum ex gravi metu tibi jam datis. Patet hoc totum ex d. l. *Metum autem præsentem*, § *Sed quod prætor*, ff. eod.

40. *Aliud remedium, quod his competit, est actio utilis.* — Aliud, atque tertium remedium, addit Hostiensis in *Summa*, h. t. n. 7, quod est « Rei vindicatio; » sive (ut Abbas in c. *Ad audiendam*, n. 1, h. t. loquitur) « Actio utilis, » si metum passus dominus est illius rei, arg. cit. l. *Metum autem præsentem*, § *Volenti*, et § *Licet etiam*, ff. h. t. Ibi quippe dicitur, quod, quando res per metum tradita in bonis ejus est, qui vim passus fuit, volenti detur « actio in rem » (intellige de actione utili, ut explicat Glossa § *In rem*, et Bartolus ibid.) licet tunc cesset actio poenalis.

41. *Quomodo res possit dici esse in bonis ejus, qui eam ex metu alteri tradidit?* — Et si petas, quomodo res possit dici esse in bonis ejus, qui eam alteri ex metu jam tradidit, sicque dominium in alterum valide transtulit; resp. cum Glossa in cit. § *Licet etiam*, § *In bonis ejus*, id verificari fictione juris : nam, ut l. *Nemo*, ff. *de Restitut. in integrum* dicitur : « Nemo videtur re exclusus, quem prætor in integrum se restitutum pollicetur. »

§ III.

DE NONNULLIS CASIBUS, IN QUIBUS METUS VEL NON EXCUSAT, VEL IRRITAT ACTUM IPSO JURE.

42. *Si culpa sua quis incidit in metum, non competi tpsu remedium juris* Quod metus causa. — Quæritur I. Quando metus non excuset, seu non faciat actum rescindi per sententiam iudicis? Resp. I. Quamvis gesta per metum regulariter teneant, sed rescindenda veniant auctoritate iudicis, et per actionem « Quod metus causa, » ut proxime dictum : id tamen quoad posteriorem partem fallit imprimis, si culpa sua quis incidit in metum; quia talis metus non excusat, neque competit aliquod remedium ex sua culpa metum passo. Ita Glossa magna in cap. II; Abbas ibid. n. 7, h. t. eum communi; atque desumitur ex l. *Si mulier*, 21, § 1, ff. h. t. Ubi dicitur, quod si liberta contra patronum suum ingratitude commiserit, atque idcirco, ne iterum ab eo in servitutem redigatur, quidpiam ei promiserit, aut dederit, ipsi non subveniatur per edictum « Quod metus causa, » addita illa notabili ratione : « Quæ hunc sibi metum ipsa infert, » committendo videlicet ingratitude contra patronum. Ubi proin Glossa generaliter notat, non succurri ei, qui se in necessitatem posuit, arg. l. *Si fidejussor*. § *Si necessaria*, ff. *Qui satisfacere cogantur*.

Fallit insuper dicta posterior pars conclusionis, quando metus ab intrinseco proveniebat : vel quando metus ab extrinseco quidem, juste tamen, vel saltem non ad extorquendum consensum incutiebatur; prout jam dictum fuit supra § præc. n. 26 et seqq.

43. *Hoc ipsum non competit ei, qui ex metu non est damnificatus. Quid, si creditor vim adhibeat vel debitori, ut solvat?* — Resp. II. Actio « Quod metus causa » etiam illi non competit, qui ex metu damnificatus non est. Ita habetur in l. *Sed et partus*, 12, § *Quæri poterit*, ff. h. t. et notat Bartolus in *Summario* ibid. Layman in principio, h. t. n. 2, et communis. Sic, quando creditor vim adhibuit debitori suo, ut ei debitum solveret, actione « Quod metus causa » non tenetur. Nam hæc actio damnum exigit : atqui per vim repetens, quod sibi debebatur, damnum non intulit; prout argumentatur Julianus in cit. § *Quæri poterit* : recte tamen concedens, quod talis ob vim adhibitam incidat in legem Juliam de vi, et consequenter jus crediti amittat. Nunc quantum ad alteram partem propositi paragraphi,

44. *Matrimonium ex gravi metu injuste incusso contractum, ipso jure est nullum.* — Quæritur II. Utrum matrimonium gravi metu contractum sit invalidum, et quo jure? Resp. I. Matrimonium ex gravi metu injuste incusso contractum, ipso jure nullum est, atque invalidum. Ita textus in c. *Cum locum*, 14 et c. *Veniens*, 15, juncta Glossa § *In virum constantem*, et c. *Consultationi*, 28, *de Sponsalib. et matrim.* estque certa, et communis doctorum. Siquidem contracturus matrimonium « plena debet securitate gaudere, ne per timorem dicat sibi placere quod odit, et sequatur exitus, qui de invitis solet nuptiis provenire; » ut loquitur pontifex in cit. c. *Cum locum, de Sponsalib.*

45. *Idem, juxta probabilior sententiam, dicendum de sponsalibus; adeo, ut non inducant impedimentum justitiæ publicæ honestatis, si ex tali metu fiant.* — Et hoc ipsum Abbas in c. *Ex litteris*, n. 2, *de Desponsat. impuber.* et communior atque probabilior doctorum, quos citat et sequitur Sanchez lib. IV *de Matrim.* disp. 19, n. 2 et 3, contra nonnullos alios, extendit ad sponsalia de futuro, ex metu gravi, atque injusto contracta; quod nimirum et ipsa sint irrita ipso jure, sicque non inducant impedimentum justitiæ publicæ honestatis; tum quia connexorum idem est iudicium, arg. c. *Translato, de Constit.* cum similibus : unde etiam l. *Oratio*, ff. *de Sponsalib.* in simili habetur, quod prohibitis in persona senatorum nuptiis, etiam sponsalia ipso jure prohibita censeantur; tum quia sponsalia metu contracta, si semel valerent, hoc ipso inducerent damnum irreparabile, videlicet impedimentum justitiæ publicæ honestatis : hoc enim non posset amplius per sententiam iudicis rescindi, prout rescinduntur alia ex cæteris contractibus metu celebratis emergentia. Atqui illud non videtur dicendum, quia « quæ metu et vi fiunt, de jure debent in irritum revocari; » adeo, ut « cum integritate » restituantur universa, c. *Abbas*, 2, § fin. h. t. cum similibus, estque jam dictum supra n. 33.

46. *Impossibile dicitur, quod fieri non potest de jure communi, sed solum ex dispensatione Papæ.* — Nec juvat dicere, impedimentum justitiæ publicæ honestatis posse tolli per dispensationem Papalem, ac proinde illine non sequi damnum irreparabile. Nam contra est : quia damnum subortum ex gestis ob metum gravem, debet posse tolli « de jure, » seu per sententiam iudicis gesta illa cætero-